



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 208. Epistolæ Poloniae Regis, & Magistri Ordinis Teutonici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV. Romana urbe, prout tamen infimulabantur. **A.C. 1416.** Postmodum quidam Imperatoris Advocatus contra Regis Hungariæ, Croatiae, & Dalmatiæ titulum, quem sibi Rex atque Neapolis Regina arrogaverant, intercedebat. Pari modo Cardinalis S. Marci exceperat contra titulum Regis Siciliæ & Hierosolymæ, quem iidem quoque assumpserant. Quibus tamen Neapolitani Legati Responsis suis plene satisfecerunt; quo factum, ut Synodus illud innovaret Decretum, vi cuius jam antea sancitum, ne gradus, tituli, vel sedes, quas quisque in Congregationibus vel Sessionibus teneret, in ullius præjudicium cederent.

§. CCVIII.

Epistolæ Regis Poloniæ, & Magistri Ordinis Teutonici ad Synodum.

*Vander
Hardt to. 4.
p. 861.*

Præterea tres epistolæ ad Synodum delatæ prælegebantur, quarum una a Ladislao Poloniæ Rege, & Witholdo Duce, altera a Michaele Cochmeistero supremo Teutonici Ordinis Magistro, tertia demum ab Universitate Cracoviensi scripta erat. Ladislaus commendat studium, quod Synodus in extirpanda Hæresi nec non in Ecclesia denuo sub uno Capite unienda luculenter comprobasset, testaturque, se hucusque inducias Polonos

nos inter & Teutonicos sancitas integra fide observasse. Pari voto Magnus Ordinis Magister in sua epistola, se hanc pacem nullo pacto violaturum spondit, supplicans, ut Synodus Ordinem suum cum Polonis stabili foedere conjungere niteretur. Vix non eadem in suis quoque literis Cracoviensis Academia expressit, ac vere ardens Ecclesiae in Capite ac membris restaurandae desiderium prodidit, pollicita, se haud segnius quam ipsum Concilium in castigandis haereticis processuram, denique impense rogat Praelatos, ut & ipsi divinae, humanaeque scientiae studia restaurarent, Universitates jamiam erectas beneficiis cumulando, celebriores Professores advocando, ac honestis stipendiis alliciendo, novasque Cathedras fundando. Cracoviensis Universitas ab erectionis suae epocha sexdecim duntaxat numerabat annos.

Saecul. XV.
A.C. 1416.

§. CCIX.

Joannis Parvi caussa denuo ventilata.

Decreverant equidem Commissarii in causa Joannis Parvi sententias Doctorum publici juris facere; cum tamen, quamvis jam ad undecimam Aprilis harum publicatio praefixa fuisset, necdum eas publicassent, ideo Ducis Burgundiae Legati hujus sanctionis executionem omnibus

Q 3

viri-